

Werk

Titel: Coniectanea

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1872

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0006|log54

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

CONIECTANEA.

XLVI. Epimerismi Homerici in Crameri Anecd. Ox. t. 1 p. 119
 παρὰ δὲ τοῖς Ἀττικοῖς (διὰ praepositio) προλαμβάνει (scr. προσ-
 λαμβάνει) τὸ ἰῶτα καὶ γίνεται διαί καὶ συντάσσεται γενικῇ
 καὶ ἰσοδυναμεῖ τῷ ἔνεκα· “πᾶσα γὰρ Τροία δέδορκεν Ἑκτορος
 τύχης διαί,” ἀντὶ τοῦ ἔνεκα Ἑκτορος. καὶ ἐν Ἀγαμέμνονι
 “ἄλλοτρίας διαί γυναικός,” ἀντὶ τοῦ ἔνεκα. in versu quadrato,
 quem Aeschyli esse vix potest dubitari, Bernhardius δέδουπεν, Din-
 dorfius δέδοικεν scribendum esse coniecerunt: mihi sic potius
 Aeschylus videtur scripsisse,

πᾶσα γὰρ Τροία δέδορκεν Ἑκτορος ψυχῆς διαί,
 namque tota Troia vivit propter Hectoris animam. vita totius Troiae
 in Hectoris vita ponitur, quemadmodum alii interitu eius Troiam
 interiisse dixerunt. Manilius iv 24 Troia sub uno Non eversa viro
 fatis vicisset in ipsis? ignotus poeta in Aetna v. 588 miramur Troiae
 cineres et flebile bustis Pergamon extinctosque suo Phrygas Hectore.
 Seneca in Troadibus v. 124 columen patriae, mora fatorum, Tu prae-
 sidium Phrygibus fessis, Tu murus eras, umerisque tuis Stetit illa
 decem fulta per annos, Tecum cecidit summusque dies Hectoris idem
 patriaeque fuit. Ausonius Epit. her. 14 Hectoris hic tumulus, cum
 quo sua Troia sepulta est. Conduntur pariter qui periere simul.
 δεδορκότα vivum dixit Sophocles in Electra v. 66, ὥς κἄμ' ἐπανχῶ
 τῇσδε τῆς φήμης ἄπο Δεδορκότ' ἐχθροῖς ἄστρον ὧς λάμψειν
 ἔτι. quodsi Aeschyli versum recte emendavi, non potest sumptus
 esse e-Phrygibus, quae Hermannii fuit opinio, sed referendus videtur
 ad Myrmidones aut probabilius etiam ad Nereides.

XLVII. Euripides in Cyclope v. 495 ss.

μάκαρ ὅστις εὐιάζει
 βοτρυῶν φίλαισι πηγαῖς
 ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθεῖς,
 φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων,

ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν
 χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας,
 μυρόχριστος λιπαρὸν βόστρυχον, αὐδᾶ δὲ “θύραν τις
 δίξει μοι;”

quod versu quinto scriptum est ξανθὸν recte iudicavit Hermannus neque metrum exaequare neque aptam praeberere sententiam: sed idem falsus est cum et alia temptavit et κάλλος posuit, quo certe, ut ait, sententia qualis debeat ex verbis prodiret. neque magis probari potest quod Guillelmus Dindorfius scripsit ἐπὶ δεμνίοισι τ' ἄνθος χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας. scilicet qui domum amicae petit et ante eam vociferatur ‘ecquis fores mihi aperiet?’ is nondum amicam in lecto tenet: nihil enim obscaeni latet in illo θύραν τις οἷξει μοι; non possum ξανθὸν, quod depravatum esse patet, certa ratione corrigere neque habeo quo erroris originem explicem, sed proponam tamen quod per se probum esse mihi videtur, non quo commendem, sed ut monstrata veri simili sententiae specie credibiliorem emendationem ex ingeniosis eliciam. nimirum hoc convenire opinor carmini, ἐπὶ δεμνίοις τε θυμὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας.

XLVIII. Anaxandrides in Protesilaio apud Athenaeum iv p. 131^a

κἂν ταῦτα ποιῆς ὥσπερ φράζω,
 λαμπροῖς δείπνοις δεξιόμεθ' ἑμᾶς,
 οὐδὲν ὁμοίοις τοῖς Ἰφικράτους
 τοῖς ἐν Θράκη· καίτοι φασὶν
 βυβακάλους αὐτὰ γενέσθαι.

falso dicit Schweighauserus Venetum librum habere βύβακας: habet enim pariter atque recentiora exemplaria βυβακάλους. hinc scitam Meinekius cepit coniecturam, de qua ita loquitur Athenaei t. iv p. 60, ‘scribendum vero βουβαύκαλα ταῦτα γενέσθαι, i. e. epulas luxuriosissimas. adiectivum βούκαλος memorat Etym. M. p. 192 20, Βούκαλον: μαλακίζόμενον, τρυφερόν. itaque ludibundus poeta dicere potuit βουβαύκαλος pro λίαν τρυφερός.’ ac legitur sane in Etymologico Βούκαλον: μαλακίζόμενον, τρυφερόν, καὶ ὠραϊστόν (ὠραϊστήν scribendum esse non fugit Sylburgium). βανκὸν γὰρ τὸ τρυφερόν. sed μαλακίζόμενον a Sylburgio profectum est, libri habent Βούκαλον: κιζόμενον. scribendum est autem Βανκιζόμενον: τρυφερόν καὶ ὠραϊστήν. nam hoc ipsum legitur in Anecdotis Bekkeri p. 225 26 et apud Hesychium. et congruit ordo litterarum, praecedit enim Βανκίδες. quae cum ita sint (video autem rem intellexisse Schmidtium Hesychii t. i p. 366), adiectivum illud

βαύκαλος auctoritate caret. nihilo tamen minus probabilis videtur coniectura Meinekii. nam a *βαυκός*, quod habent etiam Crameri Anecdota Parisiensia t. 1 p. 198 19, fieri potuit *βαύκαλος*, sive vulgus ita locutum est sive comicus poeta id finxit. sed ad litteras illas *βυβακάλους αὐτά* propius accedere videmur si scribimus *καίτοι φασὶν βουβανκαλόσανλα γενέσθαι*.

XLIX. Ioannes Stobaeus Anthol. cxxi 37 *Ξενοφῶντος ἐκ τῆς πρὸς Σώτειραν ἐπιστολῆς. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, ὃ Σώτειρα, οὔτε ὁ θάνατος αἰσχρὸν οὔτε τι καλὸν εἶναι*. dubitat Meinekii t. iv p. lxxxiii utrum *ὁ θάνατος οὔτε* scribendum sit an *οὔθ' ὁ βίος καλόν*. dirimi id nequit in excerpta sententia, videtur tamen praestare prius. secuntur haec, *ὅρος δὲ ζωῆς οὐχ εἰς πάντων, ἀνισάριθμον ἐτῶν φέρων τὸ μὴ ὅμοιον τῆς γενέσεως τῇ ἰσχύι ἢ ἀρρωστίᾳ. τὴν δὲ πρόφασιν ποτὲ μὲν αἰσχρὰν οὖσαν ἐφέλκεσθαι θάνατον, ὅπου δὲ καλὴν καὶ πρεπώδη*. quae partim non possunt intellegi, neque Meinekii templata emendatione operae pretium fecit. fortasse scribendum est *ὅρος δὲ ζωῆς οὐχ εἰς πάντων, ἀνισαρίθμων ἐτῶν φερόντων ἀνόμοιον τῆς γενέσεως τῇ ἰσχύι ἀρρωστίαν, τὴν δὲ πρόφασιν* etc.: nam coniungenda sunt haec omnia. ceterum *ὅπου* δέ ita dictum abhorret a Xenophontis aequaliumque eius sermone. sed non verendum est ne quis hodie contempto Bentleio epistulas illas Grylli filio adiudicet.

L. In Explanationibus in Artem Donati a Keilio tomo Grammaticorum iv editis p. 151 hic adfertur versus, *ille ego sum corpus famosi gloria circi*. intellegi poterat ineptum illud *corpus* nomen recondere hominis. scilicet versus est Martialis x 53 1 *Ille ego sum Scorpum, clamosi gloria circi*. ad eundem Scorpum, quem Martialis eiusdem libri ep. 50 laudat praetereaue iv 67 5, v 25 10, x 74 5 memorat, Friedlaenderus in Marquardtii Ant. Rom. t. iv p. 518 inscriptionem Fabrettii p. 277 169 rettulit.

LI. Martialis x 65 10

*os blaesum tibi debilisque lingua est,
nobis filia fortius loquetur.*

filiam absurde commemorari manifestum est. quod Roius scribendum esse coniecit *nobis sibila fortius loquentur* probabile non est, etsi non dixeris prorsus ineptum. contra ineptum est quod Schneidewinus posuit cum epigrammata Martialis iterum edidit, *nobis fistula fortius loquetur*. Martialem scripsisse puto

nobis ilia fortius loquentur.

intellegitur βορβορυμός, quem Coelius Aurelianus rugitum intestinorum saepius dicit, et quod sequi solet istum rugitum. nam *ilia* hic intestina sunt, ut in Horatiano illo *o dura messorum ilia*. ioco non dissimili neque minus obscaeno Rabelesius dixit '*je croys*' dist *Eusthenes* '*que les Gothz parloyent ainsi: et si dieu vouloit, ainsi parlerions nous du cul.*'

LII. Epigramma Anthologiae Burmanni III 60

*Est mihi rus parvum, fenus sine crimine parvum,
sed facit haec nobis utraque magna quies.
pacem animus nulla trepidus formidine servat
nec timet ignavae crimina desidia.
castra alios operosa vocent sellaeque curules
et quidquid vana gaudia mente movet:
pars ego sim plebis, nullo conspectus honore,
dum vivam dominus temporis ipse mei.*

possunt haec intellegi. tamen si quis adcuratius omnia consideraverit, adsentietur, opinor, mihi castra in rostra mutanti.

LIII. In Frontonis Ep. ad M. Caesarem III 8 p. 43 Nab. scribendum est *Clausa iam et obsignata epistula priore venit mihi in mentem fore uti ei qui causam hanc agent (acturi autem complures videntur) dicant aliquid in Heroden inclementius. erat et, quod in ei mutavi; tum agunt, quod corrigendum esse Naberus vidit.*

Ep. III 10 p. 48. *Omnia nobis prospera sunt quom tu pro nobis optas: neque enim quisquam dignior alius te qui a dis quae petii inpetret.* Schopenius petiit: praestat petit.

Ep. III 18 p. 56. *merito amo. immo merito te amo.*

Ep. IV 3 p. 64. *una plerumque littera translata aut exempta aut immutata vim verbi ac venustatem commutat et elegantiam vel inscientiam loquentis declarat. ita scribo: erat scientiam.*

Ep. IV 12 p. 74. *cum interim numquam tua imago tam dissimilis ad oculos meos in itinere accidit ut non ex ore meo excusserit rictum osculei et somnum. olim dixi scribendum esse et savium.*

LIV. Arnobius III 9 aut si obscaenitas coeundi ita ut decet ab dis abest, quae causa ratioque monstrabitur cur insigniti sint his locis quibus sexus se solet libidinum propriarum admonitionibus recognoscere? inutiliter non nulli solet in solent mutarunt. secuntur haec, neque enim veri est simile haberi haec frustra aut improvida in illis suam ludere voluisse naturam, ut eos his partibus exaggeraret quibus utendum non esset. quae leni manu non magis videntur sanari posse

quam conplura in Arnobii libris alia. equidem scripserim *aut* inprobum *in illis* lusum *ludere voluisse naturam*.

LV. Iuvenalis 14 269 *perditus ac vilis sacci mercator olentis*. extat scholion, aberrans illud a recta interpretatione, *foetidae alicuius mercis. vel ex sententia halitu foetidae*. in *vel* et *halitu* Iahnus mutavit quae libri habent *ut* et *talis tu*: recte quidem, sed praeterea *sententia* mutandum erat in *sentinae*.

Ad eiusdem satirae versum 328 hoc pertinet scholion, *Croesus ille est cui Solon dixit ὄρα τέλος μακροῦ βίου. cuius filius, cum ipse Trallibus victus esset a Cyro rege Persarum, adulescens usque id mutus, intentum iugulo patris gladium cum videret, subito exclamavit 'homo Cyre parce homini.'* Solonis dictum eisdem verbis conceptum habet Ausonius in Ludo septem sapientum p. 270 et 274 Tollii. apud Diogenianum viii 51 haec leguntur, *τέλος ὄρα βίου· τοῦτο τὸ ἀπόφθεγμα Σόλων εἶπε Κροίσῳ*: sed in codice Pantini scriptum erat *μακροβίου*, ut hic quoque iambici versus *ἀκροτελεύτιον* adpareat, *τέλος ὄρα μακροῦ βίου*. mox Trallibus Pithoeus scripsit, libri habent *trailibus*, quod sane inde factum est, verum autem est *Sardibus*. denique scribendum est *homo, parce Croeso*. docet utrumque Herodotus.

LVI. Boethii Commentarios in Topica Ciceronis, quorum postrema pars in vulgatis exemplaribus deest, Carolus Benedictus Hasius in adnotationibus ad Ioannem Lydum aliquot paginis auxit quas codex Parisinus 7711 ei suppeditaverat: repetitae sunt in Orelliana scholiastarum Ciceronis sylloge t. i. leguntur ibi haec p. 349 Or., *ab hac deorum oratione verbi gratia ita ducitur testimonium ut, si de Socratis excellentia dubitetur, illo Pythii oraculi vaticinio omnis dubietas abstergatur*,

κεῖνος ἀνὴρ τὰ κακὰ καὶ ἐναντία ἐστὶ πορίζων.

ita Graecum versum Hasius scripsit, in codice esse dicit AINOC. ANIP. TA. KAKA. KAE. ENANTIA. EHOI ZOI. sed *πορίζων* non potest verum haberi: neque enim satis apta est inveniendi vel excogitandi significatio qua *πορίζειν* et *πορίζεσθαι* non numquam dicuntur. quale verbum sententiae conveniat non videtur posse dubitari. dubia est totius versiculi emendatio: sed puto tamen Boethium eius non memoriter meminisse paullumque mutasse quae sic scribenda erant,

κεῖνος ἀνὴρ τὸ κακὸν τὸ τ' ἐναντίον ἐστὶν ὀρίζων.

LVII. Symmachus in Laudibus Gratiani cap. 6 et *mehercule*

tenacius rapit inperii disciplinas teneritudo primaeva. virtus cum cito inchoat diutius perseverat. nempe virentibus ramis artifex rusticandi alienum germen includit, ut novella praesegmina coagulo libri ubidius inolescant. Maius adnotavit codicem videri habere *ubidios*. Heindorfius scribendum esse coniecit *avidius*. fefellit eum opinio: scripsit enim Symmachus *ut novella praesegmina coagulo libri uvidi inolescant.* quippe obversabantur ei Vergiliana Georg. II 76 *huc aliena ex arbore germen* *Includunt udoque docent inolescere libro.*

LVIII. Symmachus pro Synesio cap. 2 *taceo officiorum nostrorum laudabilis vices. nolo pro meo debito curiam pervenire. quippe utrumque deforme est, et collegam futurum non censi merito suo et laudatorem eius de communi esse solvendo.* Maius cum ad *curiam* adscripsit 'ita codex sine praepositione.' quid cogitarit non est operae pretium quaerere. patet enim Symmachum scripsisse *nolo pro meo debito curiam* intervenire.

LIX. Calpurnius Buc. 6 17

*o Lycida, si quis tibi carminis usus inesset,
tu quoque laudatum posses Alcona probare.*

debile atque inutile est illud *posses*, neque credo Calpurnium eo usum esse, sed scripsisse *nosses*. nam verbum quod est *novi* poetae cum alius verbi infinitivo saepe coniunxerunt. Vergilius Aen. VIII 316 *nec iungere tauros Aut componere opes norant aut parcere parto.* Propertius III 28 13 *semper, formosae, non nostis parcere verbis.* Ovidius Ep. 6 53 *Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.* Martialis VIII 18 *sic Maro nec Calabri temptavit carmina Flacci, Pindaricos nosset cum superare modos.* idem X 33 *hunc servare modum nostri novere libelli.* Statius Silv. I 2 49 *vacat apta movere Colloquia, et docti norunt audire penates.* Iuvenalis 11 142 *nec frustum capreae subducere nec latus Afrae Novit avis noster.* Serenus Sammonicus v. 6 *tuque potens artis, reducem qui tradere vitam Nosti seu caelo manes revocare sepultos.* Nemesianus Buc. 2 62 *quae licet interdum, contexto vimine clausae Cum parvae patuere fores, ceu libera ferri Norit et agrestes inter volitare volucres, Scit rursus remeare domum tectumque subire:* nam ita haec scribenda esse alias docui. Claudianus Epigr. 1 4 *dura quibus solis parcere novit hiems.*

LX. Plinius Nat. hist. XXVIII § 28 *ungues resecari nundinis Romanis tacenti atque a digito indice multorum pecuniae religiosum est.* non attinet narrare quae de his factae sint coniecturae. sana fient omnia si ex *pecuniae* feceris *opinione*, mutatione non maiore quam

quali haud ita raro in libris Plinianis utendum est. inprobabunt tamen emendationem qui litterulas auxie rimari et futilia inde exculpere solent.

LXI. Ampelius 44 3 *Nicomedes, socius et amicus populi Romani, in cuius amicitia prima aetate Caesar fuit, qui moriens testamento et ipse populum Romanum heredem dimisit.* non intellexerunt ubi mendum esset qui *dimisit* mutandum esse coniecerunt. immo haec erant Ampelii, *qui moriens testamento et ipse populo Romano hereditatem dimisit.* Lampridius in Heliogabalo cap. 31 *habuerat praeterea facultates a multis dimissas gratia patris.* Testamentum Grunnii clamavit ad se suos parentes, *ut de cibariis suis aliquid dimitteret eis.* — et nec nominando coco legato *dimitto popiam et pistillum.* Historia Apollonii Tyrii paullo ante finem *post haec moritur perfecta aetate, in manibus eorum dimittens hereditatem regni sui Apollonio, in medietatem filiae suae.*

LXII. In Appendice Probi p. 198 1 K. praecipitur dicendum esse *Theofilus non Izofilus, homfagium non monofagium, Byzacenus non Bizacinus, capsesus non capsesis.* fortasse non *Izofilus* dixerunt, sed *Ziofilus.* in *homfagium* latere *omfacium* puto. *capsesus* mutandum videtur in *Capsensis.* de extrito *n,* quod in *Capsesis* inprobatur, etsi omnia nota sunt, addam tamen *montesianis* Commodianum 1 21 scripsisse in acrostichide. — quod in eadem Appendice p. 198 14 inprobatur *superlex,* scriptum est in codice Arnobii II 18 *superlectilem,* de quo Öchlerus adnotavit. — p. 197 28 docetur dicendum esse *miles non milex,* quod Probus p. 126 K. adcuratius persequitur. scriptum est *milex* in Gromaticis p. 246 19.

M. HAUPT.